



# Disputatio medica inauguralis de lithiasi renum et vesicae

<https://hdl.handle.net/1874/347220>

7.

DISPUTATIO MEDICA  
IN AVGVRALIS  
DE  
**LITHIASI RENUM**  
**ET VESICÆ.**

QVAM,  
DIVINO FAVENTE NUMINE,  
*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inlytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Præconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci consensu, Nobilissimeque  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
ritè, & legitimè consequendis,

*Publico examini submittit*

GERHARDUS DANIEL ENGERING, Mindâ-Westph.  
*Ad diem 17. Maii, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clo lcc LXXXIX.

*REVERENDISSIMO PER ILLUSTRI  
ac Gratioſo Domino*

D. JODOCO de FALCKEN,  
Cathedralis Ecclesiæ Mindensis PRÆ-  
POSITO, Serenissimi Electoris Bran-  
denburgici Confiliario Provinciali, Sa-  
trapæ in Wildeshufen, Domino hæreditario  
in Welpe & Roekel &c. Domino  
suo gratioſo.

U T E T

*Nobiliſimo Excellentiſimo, Domino*

D. WILHELMO HENRICO DAN-  
KELMAN, Serenissimi ac Potentissi-  
mi Electoris Brandenburgici Confiliario  
intimo Cancellario & Directori in Prin-  
cipatu Mindensi dignissimo.

Patronis & Promotoribus suis perpetim  
venerandis & colendis.

*Hanc Disputationem Inauguralem humillimè*

*Dedicat & Offert*

*GERHARDUS DANIEL ENGERING,*

*AUCTOR & RESP.*

I. N. I.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS.

DE

Lithiasi Renum & Vesicæ.

THE TIS I.



On inconsultum esse putavi, initium sumere à nominis definitione & Synonimis, tum quia ita usui receptum, tum quod etiam faciat ad meliorem ipsius affectus cognitionem. Lithiasis itaque dicitur, à voce Græca λιθος lapis sub quo intelligitur dispositio ad calculum. In scholis latinis dicitur calculus humanus, à similitudine quod referat lapidem calcaneum. Specialiter, quod creberrimè reperiatur in renibus, à Græcis hic affectus etiam dicitur Nephritis ἀπό τῶν ρεφεῖον à renibus; attamen sunt nonnulli qui pro uno quoque affectu renum, Nephritem habent, præcipue verò inflammationem, Lithiasin autem pro calculo renum. Ad differentiam aliorum lapidum aut calculorum ab Helmontio novo nomine insignitur, & ab illo vocatur Duelech cum differat ab aliis ratione compositionis & fiendi modo. Germanicè dicitur der Stien.

I I.

Paucis descripta definitione nominali, sub sequitur ipsa definitio realis, quæ à variis auctoribus vario modo describitur, optimam autem & brevissimam sequentem censeo. *Lithiasis est calculi generatio, in quavis parte corporis, sed præcipue in renibus & vesica de quo hic: in quibus partibus mole & soliditate sua varias obstructiones & lesiones procurat.*

A 2

III. Dif-

## I I I.

Differentia sumitur 1. Ab ipsius calculi constitutione; quo ad figuram, magnitudinem, consistentiam, colorem atque numerum; alii nempe longiores & pyramidales, ut ferè qui in ure theribus reperiuntur alii rotundiores, alii asperiores visuntur, alii ovi magnitudinem alii pisi adæquant, alii sunt consistentia compactiores & duriores alii vero friabiles & porosi, pro ratione materiæ concretæ. 2. A modo generationis differunt quatenus vel hæreditarius vel acquisitus: Hæreditarius cum scilicet, à parente genitore, peregrinæ impressiones & in specie petrosæ seminum enteligiæ nobiscum sunt congenitæ, & ut loquitur Helmontius si semel tales sint suscepτæ, mirum, quam facile tenerrima nostri initia iis auscultent, nobiscum adolescent atque pertinaciter demum perseverent; quo modo autem & sub qua forma hoc seminum petrosum semini vitali protoplastico, commisceatur & suam sedem in renibus iterum fuscipiat ingenuè fateor me explicare haud posse. Sic quoque differentia desumitur ab ipsius generantis ætate & sexu, ut calculus renum senibus frequentior, vesicæ pueris infantibus & fæminis, fortasse quia in his archeus renum multo ad huc vegetior & alacrior, unde seminium lapidificum suam energiam, in renibus excercere non potest, sed una cum urina & materia ad lapidem apta nata expellitur ad vesicam, ibidemque diutius moram necens vel à retentione urinæ in pueris sat familiari vel à compressione orificii vesicæ in imprægnatis, vires suas resumit, & materiam coagulat in duram vel friabilem substantiam. Tertia denique differentia desumitur à loco in quo subsistit calculus, ut aliud est vesicæ, aliud renum &c.

## I V.

Subiectum seu uterus *Dusech* in genere sunt omnes ferè partes corporis humani, à capite ad calcem, ut perquam plurimi testantur Auctores: Sic in cerebro, ut & ipse vidi in nosocomio Lugdunensi, lapides in glandula pineali. Observati non minus in palpebris, sub lingua, in pulmonibus, in vesicula fellis, in ipsa substantia hepatis, in splene, in ventriculo &c. A nonnullis quoque uterus cum inclusu Embryone lapideus demonstratus. Sic observatum est, circa tres circiter annos, ab experientissimo & curiosissimo quodam Medico pratico, lapides uterinæ à virgine quadrage.

dragonaria excretos valde porosos & laves instar pumicis, magnitudine ovum anserinum referentes. Hæc autem virgo religiosa, ubi è renibus excerneret calculos, duros & solidos magisque ponderosos deponebat. Facile scissiles erant calculi ex utero, sed duriores nec facilè cultro cedentes calculi ex renibus. Per destillationem oleum copiosum fætidum cum sal. vol. pauciori exhibebant uterini calculi, majorem copiam sal. vol., & pauciorem olei, exhibebant renum & vesicæ calculi. Ultimo uterini calculi manifestum decrementum acquirebant temporis tractu, tam in pondere, quam in magnitudine, sola exsiccatione in aëre, minus à pristina figura & pondere declinabant calculi renum, utriusque autem solvebantur in spiritu nitri.

## V.

Causam hujus coaguli duplarem statuo; causam scilicet, proximam immediatam quæ vel efficiens vel materialis, & causam remotam quæ vel intrinseca & extrinseca est.

## V I.

De causa immediata proxima efficiente variæ ac diversæ sunt sententiæ, tam Galenorum quam Chymicorum, ut ferè dubius qualem ex hisce eripere possèm. Galenici de suis qualitatibus, tres nobis obtrudunt, Calidum, frigidum & siccum: Sed haec qualitates falso innituntur fundamento: namque sine totius interitu ita augeri non possunt, ut aliquod coagulum producerent. Calor enim si ageatur ut, instar ignis lapides in clybano excoquunt, Dueleeb produceret, mirum esset si totum corpus non aduretur, & adhuc aliis evincitur rationibus, quod febricitantes & inflammatione renum laborantes, quorum calor admodum adauctus deprehenditur, calculo etiam non statim laborent &c. Frigus etiam in excessu tali absque caloris vitalis destructione haud ita augeri potest ut coagulum calculosum producat. Illud quoque sit dictum de sola siccitate, nam potius exarescent renes quam ut particulæ solidas in unum combinaret; quamvis ad firmitatem & densitatem corporis plurimum faciat absumtio & inopia ipsius humidi & fluidi, quæ alias semper in motu retinere queunt corpuscula terristria leviora & salia quamdiu illis libero motu innatant.

## V I I.

Ut Galenici efferunt suis qualitates, sic Chymici venditant suas

## 6 DISPUTATIO MEDICA

falia, quæ diversi generis proclamant, unde rationes multò validiores dare queunt. Ad calculi itaque generationem quoque provocant sal., sed à diversis, diversum; sic sunt qui coagulationem calculi tribuunt sali tartario propria vi concrecenti non minus ac in doleis vini concrevit tartarus, sed hujus hypotheseos falsitas exinde satis manifestatur, quod scilicet tartarus vini sit solubilis in aqua calente vel effervente suppeditansque acidum tartari seu crystallos, sed calculus humanus nunquam solvitur in aqua calida; per ignem vero sublimatus non acidum fundit spiritum sed sal. volat. & urinsum quo non per pauci seducti, coalitionem quoque ab eodem sale volat. deduci posse autumnantes sibique axioma hoc reservantes.  
*In quod quid reducitur ex illo constat.* Verum hoc esse concedimus, nonnunquam autem pati suam exceptionem, quia corpuscula igni submissa velocissimo motu agitata, non tantum situm, sed & figuram, motum & magnitudinem diversimodam acquirunt. Et sit, quod calculus constet ex sale volatili urinæ, non tamen probatur exinde quod sit ipsius coalitionis auctor, quia alias nunquam ullus homo aut ejus partes liberae esse possent à calculo cum partes animales plurimo pateant sale volat. unde in sequentibus latius patet quod illud sal. urinosum volat. in calculo non ut causa activa sit aestimanda, sed tantum passivè & per accidens aliis principiis materialibus per causam efficientem associatum. Alii mutato nomine substituunt spiritum salinum Microcosmi, qui sua energia potens quæcunque indurare, nam nihil sine salis ope coagulare posse tentur, quod Theophrastus Paracelsus in lib. de morb. tartar. cap. ix. comprobat: *qualibet res, inquit, ex qua corpus fieri debet per coagulum id fieri necesse est.* Est autem coagulatio, per spiritum salis, nam in eius & potestas coagulandi. Nam per hunc spiritum salis omnia corpora coagulantur. Est autem in hoc varia proprietas aliter enim lapides, ligna, metalla, herbae &c. indurantur. Hæc autem salia spississimè in suis principiis materialibus, ita latent abscondita & involuta, ut sensu externo vix perceptibilia, quod patet in aquis fontium lapidificantium, quales passim ab auctoribus describuntur, & referam saltem pro exemplo quod mihi idem contigerit videre talem fontem Jenæ, qui situs erat circa speluncam vulgo dictam das Teuffeli Loch & in aliis locis montanis, in quibus quæcunque injecta & contigua corpora calculo obducuntur vel in lapi-

lapidem durum convertuntur. Hæ aquæ adeo dulces sunt & limpidae claræ, ut si judicio linguae subjiciantur nullum sensum acidi aut falsi saporis hujus fibrillis nervosis imprimant; inde nonnulli hunc coagulatorem ausi sal. acidum denominare, sed novo nomine spiritum Gorgonium appellavit, ejusque vim constituant in proprietate aliqua essentiali incognita ad lapidificandum, & hoc est, dicere aliquid & nihil probare, cum tamen certum & necessarium sit, latere in hisce aquis aliquod principium salinum quamvis sensu externo non perceptibile: multa enim sunt in intellectu quæ sensus externos non incurunt.

## V I I I .

Præmissis hisce, concludo causam efficientem in sale esse constitutandam, sed merito Theophrastus distinctionem facit salium coagulantium. Inter coagulatorem salis metallorum, mineralium & lapidum diversitas latet per magna, prout, nempè sal. illud diversimodè fuerit alteratum, & spicula ejus disposita, per motum ætheris & combinationem particularum diversa figura instructarum. In hoc quoque autumo coagulatorem lapidum, in lapidinis microcosmi ab aliis plane differre in sua natura & proprietate, quia nullibi datur similis concretio lapidis humani. Ad hujus coagulatoris itaque naturam indagandam & energiam explicandam, potius contenta urinæ perpendenda, quam producti calculi, & respiciendum primariò ad phænomena, quæ occurrunt in secretione ipsius urinæ. Latex itaque aquosus superfluus, unde cum particulis ramofis, globosis, salinis tam acidis muriaticis fixis, quam urinosis volat. ad renes per arterias emulgentes delatus per horum glandulosam substantiam non solummodo percolatur sed & enumeratarum particularum alterationem & unionem exactam suscipiens, urina dicitur, liquor scilicet sui similem quoad formam non habens in corpore. Itaque si hæc secretio & alteratio per fermentum, h.e. per sal. aliquod singulare in tubulis & acinis renum latitans debito modo succedat, omnia bene se habent & in statu sano partes secretioni urinosa inservientes subsistunt. Si vero lendantur, quod triplici modo fieri potest, vel à commixtione turbata ipsius lacticis & copia salis acidi muriatici. Vel 2. à dispositione depravata tubularum & pororum renum. Vel 3. ab ipsius fermenti debilitate aut angimento, statim perversus producitur status, ut in affe-

## 8 DISPUTATIO MEDICA

affectibus renum & vesicæ ulterius patet. Ubi itaque tam fermentum quam Sal. acido-muriaticum in qualitate & quantitate augmentur & in se invicem agendo combinantur ex inde resultat tertium nempe Sal acre acido austera, quod aptum natum existit tubulos & poros renum coarctare, urinæ excretionem retardare & suis spiculis Salinis coagulum lapidosum procurare, quodque vocamus *femineum calculosum*, quia producit novam concretionem. Eodem modo ut videmus in urinis limpidissimis, quæ tantum post levem stagnationem & refrigerationem coalitiones innumeræ arenularum producunt vel viscositate molles inter se invicem combinatas ad fundum subsedentes. Sic etiam in renibus & vesica si minimam moram trahant hæc Salia nimis copiosa, irretiuntur in corpusculis terrestribus ramoso-viscosis urinæ, postmodumque coagula & crystallisationis majoris aut minores res producunt, quod facile manifestatur qui per pudorem retenta urina facillimè in calculus incident. Illud facillimè demonstrant mulieres gravidæ retentione urinæ laborantes postea stranguriæ, ultimò calculo, quoniam orificio vesicæ urinariæ nimis comprimitur à delatato utero.

## I X.

Porro ad ulteriorem probationem positiones sequentes dilucidabo 1. *Quod deitur fermentum renum, & cuius sit indolis atque nature* 2. *Quod requiratur ut sit adaequatum.* 3. *Quod in urina deitur Sal. acido muriaticum* 4. *Quod illud Sal. acidum in sufficiens sit ad producendos calculos, nisi sit in sufficienti copia & singulariter alteratum,* 5. *Quomodo combinetur fermentum renum cum Sale illo & ex illa combinatione tertium aliquod Sal acre austeroacidum singulare producatur, & denique demonstranda ipsa actio hujus Salis.* Quoad primum dixi in præcedentibus laticem aquosum, in urinam commutari duplicitate, percolatione scilicet & alteratione. Nam percolatio sola vix sufficiens, cum per hanc simplicem actionem nulla potest fieri transmutatio aut exaltatio particularum ut inde producatur sapor Salinus & odor Spirituosus peculiaris multo minus unio intima particularum ramosarum cum aqueis & terrestribus. Nam unire, exaltare, dissolvere seu extricare solius fermentationis ope fit ut hoc patet in diversis operationibus chymicis. Cum hæc itaque intima unio conspiciatur in urina, sequitur

tur illam non minus fieri per aliquod fermentum. Sub nomine autem hujus fermenti, non intelligimus fermentationem candom, quam in vegetabilibus aliquibus observamus, id est motum intestinum talem, qui ad plenariam extricationem Spiritus Sulphurei ardoris tendit, sed levem motum collisorium, quo mediante figura & situs partium variatur, ut inde deturbatis vel secretis particulis crassioribus terrestribus magis salinus & limpidus reddatur liquor: nam omnis fermentatio suo modo falsos reddit humores. In quo autem hujus fermenti virtus existat, magna exoritur quæstio, quantum vero concipere possum dico dupli Sale dotatum, lixivioso scilicet putrido & acido subtili, quia omnibus lixiviosis urinæ color & odor ut & ab acidis secretio major intenditur. Secundæ propositionis probatio nempe quod ad due lech producendum requiratur hujus fermenti aliquale augmentum, idque obsequenter rationem, quod si hoc fermentum occurrat Salsi acido muriatico urinæ, ne ab illo plane suppressimatur sed ut habeat vim resistendi & Sal illud aliquatenus immutandi ut acro aciditus reddatur, illudque incidat in particulas facile cohaesionem duram, ope coagulationis reducendas. Illud manifestum fit in pueris & infantibus, Pipere, Sale & caseo plurimum utentibus, qui facilimè calculosi evadunt. Imò à plurimi piperis & Zinziberis usu, ut & Salis intermixti communis, in calculum incedisse seniores, nunquam antea illo morbo obnoxios testatus, est in collegio suo practico Doctissimus Experientissimus Dn. D. le Mort, Preceptor mens præ aliis maxime colendus, rationem sequentem addens, quoniam acria illa aromata omnibus liquoribus fermentatis addita acrem ipsis communicant aciditatem corpusculaque mollia, oleosa, sphærica rigidiora reddit & in oblongas fibrosas particulas plurimum præcipitat liquoris, animalculorum figuram postea repræsentantes, quæ ob spiritum salinum copiosum facilius ab æthere de loco in locum propulsa natare videntur in liquore sed à quavis ferè causa externa sive à Sale, sive à terra intermedia spaceola repleta molis augmentum assumentia hæc putatitia animalcula à motu declinant superficierum conjunctione, primo in argillaciam postea in lapideam materiam concrescencia. Quod vero tertio Salacidum in urina subsistat probatur idem ab experientiss. Dn. D. Le Mort in sua chymia rational p. 264.

## 10 DISPUTATIO MEDICA

1. Nempe quod urina præcipitet Mercurii solutionem in pulvrem album, non secus ac à Salibus muriaticis acidis id fieri solet.  
 2. Quod urina recens destilata nullum Sal. Vol. fundat, ulterius vero fermentata vel additis Salibus alcalinis, acidum mortificantibus, plurimum 3. Urinæ hydropicorum, phthisicorum & calculo laborantium super ignem coagulantur in grumos, quæ coagulatio impeditur à Salibus alcalinis, augetur ab acidis &c. Non sufficit autem solum hoc acidum ad producendum calculum humanum cum plurimæ dentur Salia acida, quæ non tam ligant particulas ramosas terrestres quam magis liquidiores reddunt hasce, & dissolvunt, imo & in ipso corpore, & in urina acidum pectans, ut in urinis, hydropicorum, phthisicorum & stranguria visitur, quæ producitur sæpius ab acido, cerevisiæ recentis, & non bene defecatæ: Sale non tamen protinus in hisce affectibus producitur calculus, sed tamen prima rudimenta non satis cohærentis calculi viscosi. Requiritur itaque ut singulare modo sit alteratum à fermento renum & in sufficienti quantitate, ut fermento etiam resistere possit, hocque simul incrassare, à quo alias facilius inverteretur, Restat denique ut explicem qua ratione scilicet hæc duo, fermentum & Sal. acidum muriaticum urinæ concurrentia in debita portione & quantitate, Sal coagulans consti-  
 tuant, & modum ipsius coagulationis. Sal itaque acido muriaticum latet in alimentis non plenarie in omni parte immutatis post reductionem sui in chylum & sanguinem; unde latici seroso mixtum facile permanet; Fermentum verò renum dissolutionem & unionem harum particularum tentans, à réactione ipsius salis acidi in corpuscula ramosa sit aliqualis effervescentia, & subsequens coagulatio prout appetet cum Spiritu nitri & oleo urinæ empyreatico, quæ duo solidam ineunt consistentiam.

## X.

*De causa Materiali* etiam auctorum sententiae sunt diversæ sed in uno fine collimantes: unde hisce relictis, causam materialem statuo in genere omnes particulas solidas, sub quibus omnia genera & species particularum calculum constituentium comprehenduntur, ut sunt particulae tartareae viscosæ, glutinosæ, terrestres diverse figuræ oleosæ Sal. vol. instructæ. Imo ipsam aquam coagulare posse certum est cum nec aqua suis destituatur partibus solidis

solidis, prout patet in aquis petroſentibus non ſolummodo circa mineras aquofas lapidibus feraces ſed etiam in hoc Belgio limoſo, ubi non ſemel obſervare licuit canales plumbeos anthleis inſervientes brevi temporis ſpacio lapidea materia repletos in ſuis puteis, omnem aquæ tranſitum poſtea negantes quæ materia lapidea vix ferro cedit. Hæ igitur aquæ epotæ aut culinario uſui deſtinatæ non minimam calculi cauſam materialem conſtituunt.

## X I.

Cauſæ remotæ intrinſicæ ſunt pravæ diſpoſitions viſcerum internum digeſtioni & ſegregationi uſu ab inutilibus inſervientium, p̄e primis vero renū ſi horum tubuli fuerint nimis anguſtati & conſtricti ut detur indebita retardatio tam humorum noxiōrum, quam etiam partium ſolidarum illis innatantium. Ven-triculi quoque & ejus fermenti diſpoſitio p. n. vitioſe chylium p̄eparans, ut nemp̄e fit nimis acido Salſus aut tartareus & lentoſ cauſam occaſionalem p̄abet generationi calculi. Ad haſce cauſas refertur quoque à nonnullis totius corporis habitus: obesiōres enim ut dicunt magis calculo obnoxiī habentur macilentioribus; huic refertur etiam ætas, adultiores quippe frequentius calculo la-borant, ætate & viribus vegetioribus.

## X I I.

*Cauſas remotaſ exiſtiſcas ſuppeditant ſix res non naturales, & ex illis p̄cipue cibus & potus, ut ſunt qui crassas, terrefreſtes acri acido Sal. p̄aditas particulas ad haſce partes deferunt, quæ ſcilicet coagulationi maximè ſunt obnoxiæ ut ſunt varia lactincia & caseoſa p̄cipue casei aromatiſati. Salita quoque à non nullis adhunc cenuſum referuntur ut halices &c. ſed Helmont. illis contrariatur hæcque potius conduceſere aſſerit. Nocent non minus potus vini tar-tarei, & quod crescit in locis lapidofis calculofis tartareis, item viña dulcia quia plurimum acidi & tartari in ſe habent, ut & ce-reviſiae recentes nec rite fermentatae aut defæcate, triticix quæ acidum fermentabile & fæces crassiores poſt ſe derelinquunt, hoc patet exinde quod stranguriam producant. Adduntur motus & quies, exercitia nimirum immoderata à cibo aſſumpto, quatenus digeſtionem interturbant, ut chylificatio debito mo-do non ſuccedat. Sic quies nimia & ſolitaria facit ad coagula-tionem humorum vitiosorum & stagnationes particularum crassa-*

rum viscofo terrestrium , quæ facile ob diuturnam moram possunt concrescere in unum corpus. Idem hoc sit dictum de sommo & vigiliis & animi pathematibus.

## X I I.

*Signa diagnostica* calculi renum sunt , si dolor fixus gravatus & tensivus in regione lumbari oboriatur , à solutione scilicet continui & tensione interioris membranæ renum. Adest insuper stupor crucis affecti , ob compressionem musculi Psoas & nervorum renum , ut & testiculus istius lateris ad superiora retrahitur à communicatione arteriarum venarum & sextiparis nervorum qui in motum spasmodicum contrahuntur. Sicut & ab hac causa in hoc affectu produci solet nausea & vomitus. Subinde difficilis est inflexio spinae ob compressionem calculi. In urinis quoque conspi ciuntur signa , quæ in Principio lymphidæ & claræ ut vix ulla signa calculi exhibeant , in progressu vero , fiunt albicantes & mucosi , super ignem coagulantes à materia viscida & sale acido ; temporis vero tractu , una cum illa quoque excernuntur lapilli & arenulæ , ubi scilicet in minuta corpora coagulatur materia quæ per vasa urinaria transire possunt , quæque rubræ dicuntur in calculo renum albidæ & duræ in calculo vesicæ , quia mucus vesicæ albicans fortasse una simul coagulatur. Interdum urina sanguinea & cum ardore excernitur , ab asperitate & rosione calculi productæ vasorum aperturæ ; huic vero ruptioni facilè succedit ulcus , quo demum tota substantia renum potest consumi & una cum urina informa caruncularum minimarum excerni. Interdum urinæ planè subprimuntur cum nempè ad principium uretherum vel collum vesicæ calculus fuerit devolutus & obstructionem inibi causet. Præterea si vesicæ principia generationis calculi fuerint implantata , offert se crebrior ad mingendum titillatio ob urinam falsiorem vesicam ad excretionem stimulantem. Dolor gravatus in regione pubis & vesicam distendens percipitur , cui accedit pruritus & calor in meatu urinario. Hisce certum signum pathognomicum addit *Henricus ab Heer* : *si ager egesturiendo meat & menjendo egesturiat maxime accidente urina lactea & crassa interdum & purulenta*. Nec hic prætereunda signa à *wītma* quæ respiciunt ad dispositionem hæreditariam & ad vitam ante actam , certum enim est morbum esse hæreditarium & propagari à parentibus ad liberos.

XIV. Hisce

## XIV.

Hisce subjungenda veniunt signa diagnostica distinctiva quibus à dolore colico, inflammatione renum & speudo-dolore nephriticō scorbutico distingui possit. Dolor colicus dignoscitur quod sit in anteriore parte abdominis & quidem vagabundus. Dolor inflammationis renū (quæ est particularum oleaginosarum acrīum salinorum transversa propulsio per poros & tubulos, angustiores) distinguitur quod sit magis acutus continuus non ita gravativus, adest quoque febris inflammationibus sat familiaris comes. Doloris scorbutici distinctionem faciunt arenulæ excretæ, quæ hic farinaciæ in calculo autem duræ, & cum urina excreta statim fundum petentes.

## XV.

Quoad Prognosin omnis lithiasis est affectus chronicus haud facile in totum cedens neque medicamentis neque chirurgicis operationibus sed plerumque recrudescens. In specie vero facilius curatu in juvenculis quam ætate *proiectioribus* ob virium imbecillitatem & vasorum consistentiam majorem; sic etiam calculus in fieri facilius curatu quam jam existens. Est subinde lithiasis maximè periculosa ob symptomata graviora subsequentia ut si magnitudo nimia excedat calculus & adeo distendat membranas renū ut ex inde propter consensum nervorum tota œconomia animalis turbetur, aut si justo grandior obstruat tubulos Uretherum, & inde urinæ transitus ad vesicam denegatur, unde regurgitatio humoris serosi, & laticis superflui, quo corpus ad hydropem potest disponi. Si fuerit calculus inæqualis, & acutus membranas renū ipsamque substantiam renū & vesicæ lædit ac exulcerat, quorum exulceratio curatu difficultima ob partes membranosas & nervosas. Si calculus neque à medicamentis lithontripticis solvatur aut expelli possit, neque dolor nephriticus spasmodicis aut nervinis balsamicis medicamentis cedat sed continuo urgeat, tum certe dubitandum de salute ægri. Denique etiam incurabiles sunt ubi urinæ coloratæ evadunt. Meliorem verò spem salutis affulgere prædicatur cum urinæ sint albantes & limpidiores, & si ab initio mingantur tenues postea vero crassæ & in fundo matulæ arenosa & sabulosa subsidunt significant enim calculum solutum esse.

## X V I.

Prædictis illis quæ ad lithiasis cognitionem essentialiem faciunt, ad curationem ipsius accedo quæ vel *Præservatoria* vel *Curatoria* vel quæ urgentia symptomata mitigat. *Præservatoria* respicit ne causa efficiens materialis in actum producatur *Curatoria* vero est vel in vel extra paroxismum quæ omnia separatim tractare nimis diffusum videtur ideoque hic tantum auxilia quæ petuntur ex tripli fonte *Chirurgico* scilicet *Pharmaceutico* & *dietetico*, delinaturus.

## X V I I.

*Chirurgia* primo commendat pblebotomiam cujus autem hæc sit utilitatis & an sit adhibenda magna est discrepantia inter doctos, sed relictis hisce quæstionibus, quamvis ad sublationem causæ nil contribuat tamen adhibendam esse putavi, ubi dolor nephriticus admodum ursurit, sique nec vires nec ætas aliud susserint siquidem V. S. instituitur ob metum inflammationis; conjungitur enim nephritidi ingens sanguinis fluxus, cum particulis acrioribus, sat impetuose fluentes ad renes, unde venæ sectâ deplentur vasa, ut postmodum minus se invicem partes vicinæ premant sed humoris liberiori motu possint propelli. 2. *Cucurbitulas* eorumque rationem nullitus valoris æstimo. 3. Additur sectio calculi vesicæ cuius singularis modus describitur à Senerto in *inst. l. v. part. 1. sect. 2. cap. 13.* Sed ut aliae operationes chirurgicæ minimum afferunt solatium ad præservationem aut curationem totalern hujus affectus; sic non plus efficit hæc sectio sat periculosa, ac absento ramo, arbore & trunco adhuc virente & germinante. In casu autem desperato præstat aliquid experiri quam desolatum relinquere ægrum.

## X V I I I.

Fons pharmaceutica triplicem constituit classem medicamentorum tam in præservando quam in curando. 1. *Sunt preparantia & evacuantia generalia.* 2. *Sunt emollientia & fibras laxantia mollia balsamica ut & abstergentia comminuentia & expellentia dicta.* 3. *Dicuntur que propria identitate diathesin ad calculus auferendo conducunt de quibus in sequentibus.*

## X I X.

Inter evacuantia primum locum obtinent purgantia leviora ad præ-

præservationem utilia quatenus materiam tartariam & humoris abundantes seroslos salsos è primis viis evacuant antequam ad renes deferantur. Præmittenda vero aut hisce combinanda sunt præparentia & digestiva quæ simul sint abstersiva ex Crystal. tartar., cremor. tartar., tartar. vitriolat. arcanum tartar., magisterium tartari, cum alcalinis terreis, ocul. cancri ets. ut humorcs præparentur & aptiores reddantur ad expulsionem. In curatione sua etiam præstant commoda laxantia medicamenta, ad crassam fæculentiam expellendam ne impedimento sit cæteris medicamentis lithontripticis. Pæterea magnum solatum est nephriticis, alvum retinere apertam. Ergo omnia convenient purgantia habito respectu ætatum & viuum.

## X X.

*Clysteris si quo alio in morbo, hic profunt quam maxime ad dolores nephriticos leniendos, quatenus nempe vias urinarias laxant & sovent blando vapore, fæces induratas emolliunt atque educunt quæ alias suæ copia duritici ac distensione intestinorum, renes & vesicam pondere suo incumbunt atque premunt, aut si diutius commorentrur colico dolori ansam suppeditant. Componuntur vero ex emollientibus & carminativis herbis eum lacte coctis non omissis quoque aliis oliosis expressis si nulla adsit inflammatio.*

## X X I.

*Vomitoria quamvis à non nullis rejiciantur attamen non inconsulto adhibentur, si ventriculus, fuerit repletus faburrâ vitiosa, quæ per vomitum melius ac certius evanuantur, quam per ulla purgantia. Imò Poterius nisi fallor in obs. LXV. ab exhibito vitri. albo scribit, ægram una cum vomitu liberasse à calculo. Optima autem sunt vomitoria ex antimonalibus parata.*

## X X I I.

*Abstergentia, comminuentia & expellentia semper sunt combinanda, nunquam autem in praxi adhibenda præcipue in ipsa exasperatione symptomatum nisi præmissis balsamicis & oleosis blandis partes fibrosas laxantes & emollientes ne nimis citè moveamus quæ promovere non possumus unde nervosæ partes magnum in commodum præsentient. Talia autem sub communi titulo lithontripticorum describuntur ut sunt. 1. Aquosa quæ diluendo abstergunt, & resolvunt partes viscosas terrestres, serum fluidius redi-*

reddunt magisque aptum ad excretionem sunt autem magis vel minus activa prout sal. vol. nitr. alcalino magitata ut sunt aqua petrosel. saxifragae alpinæ veronica succus & aqua betulæ cerevisia cocta cum tuerionibus betulæ, aqua lithontriptica *Mynsicht*; addicitur ab Hellmont. liquor vesicæjurinar. Embryonis, capræ, vaccæ aut porci de quo testatur ejus *Zj.* singulo mane assumtam à lithiasi plane liberare Annumerare hic possem sirupos simplicium recensitarum.

2. *Sunt salina quorum vis major absteriva*, & activiora in comminuendo, & propellendo prout sal magis aut minus extricatum, eorum numerus sat copiosus. 1. *Quæ constant quodam sale corosivo* fundente & urinam ad expulsionem stimulante, sunt autem caute adhibenda & nonnisi in dosi refracta cum diluentibus, & lenientibus, ut sunt cantharides & vermes majales horumque tintetur præparatæ; quædum vero ex hac classe sunt mitiora, quæ tantum suo sale intrinseco lotium provocant, qualia sunt rad. aller. asparagi eryngii semen polypodii. 2. *Quæ urinam reddunt absterivam* ut vitriol. mart. tartar. vitriol. nitr. antim. tum tintet. aperitiva tart. tintet. silicum Glauberi. 3. *Herba & radices quæ dicuntur vulneraria & diuretica*, quæ scilicet nisi abscondunt sal. alcal. aut salsum volat. ut sunt rad. quinque aperientes petrosolin gramin. fæniculæ hæd. terrestris veronica virga aurea cuius insignis usus, ad abstergendas vias urinarias maximis encomiis effertur, item herba thee. 4. *Sunt salia alcalia lixiviosa fixa*, quæ in digestione horum naturam assumunt. Hæc salia sunt lithontriptica quatenus nimis serum fundunt & stimulant ad excretionem, sunt autem omnia illa, quæ per calcinationem vegetabilium producuntur ut sal genistæ stipidum fabar. Juniperi &c. quæ vero alcalinum assumunt saporem sunt melioris notæ quia non tam acria sunt vero talia omnia terrestria, marina testacia, & cortices nucleor. ut ocul. cancr., testes ostiar. conchar., nuclei. persicor. 5. *Quedam salia volat. commendantur* quoque sunt autem ad censem hunc tantum referenda sal. volat. succin. spirit. urinof., spirit. tartar. & calcis viv. alia enim salia volat. vix ad locum affectum pertingunt cum sint valde transpirabilia.

6. *Salia quadam acida sunt lithontriptica* non tantum ut tanquam acida deferantur ad renes aut visicam alias enim magis nocerent stranguriamque ex momento causarent, cum tamen certum sit illam tolli ab aliquot guttis spirit. sal. rectificat. cum tintet. croci data neces-

necessum itaque est ut prius in digestione alterentur & dulcescant, talia sunt succus citri, clyssus antimon. spirit. sal. coagulat. extremo igne destillatus, quem Helmont. magni aestimat praecipue qui ex sale marino Hispalensi aut muria carnis recocto fuit destillatus. Hæc autem salia acida ut & mere alcalia in praxi circumspecte & non continuo usu exhibenda, cum alias nimis liquando, serum in liquorem tenuem reducunt, humiditatem expellunt & acido interno segregando & praecipitando partes glutinosas terristres, maxime nocuae existunt recte hoc monente Clariss. D. D. Le Mort & testatur à diureticorum acriorum nimio usu calculos productos quos curavit balsamo suo antinephritico. *Tertium itaque genus lithontripicorum sunt oleosa lenientia & abstensiva quæ magis aut minus in horum particulis ramosis salia sunt implicita, quo dicantur balsamica.* Unde 1. sunt quæ sola oliositate partes reddunt laxioris & ampliores, quo non tantum dolores spasmmodici sed excretio calculorum facilitatur unde semper salinis sunt præmittenda ut sunt. Oleum olivarum, oleum amygdalarum dulc. & amar. 2. *Quæ magis balsamica, sulphur. volat. vel resinoso salino dotata ut sunt ex mitioribus rad. liquirit. semen dauci, petroselin, rufci, millii solis viol., balsamus sulph. cum oleo raparum paratus oleum terræ oleum petræ: Ex magis activis sunt baccæ juniperi, oleum juniperi, succini terebinth., mastix, macis, nux miristica & alia quæ ad renes magis integris viribus deferuntur & grato balsamico odore & consistencia fermentum resciunt, poros & tubulos aperiunt, partes leniunt.*

## X X I I I.

*Unde videtur hoc genus tertium classem medicamentorum que dispositionem ad calculum tollunt constituere, quibus adduntur aroph. Paracelsi, preparat: ex aromate philosoph. cum mixtura panis secalini in fimo equino digestum & postmodum extrahitur cum spiritu vin. tinct. aurea, optima in stranguria & calculo. Item balsamus pæruvian. balsamus copaibæ, balsamus nephrit. D. D. Le Mort. Ex salinis ab auctoribus adduntur spiritus salis extremo igne destillatus & precip. cum sal. primitus fuerit maceratum in taleolis raphani, commendatur quoque vitrum crystallinum venetianum calcinatum cum pice & terebinth. cuius præparationem describit Langius in lib. 2. epift. 58.*

## X X I V.

*Curatio symptomatum, quæ præcipue respicit ad tensionem spasmodicam renum & Uretherum mitigandam, quæ consistit quo-*

## 18 DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

que in balsamicis emollientibus & anodinis qualia sunt. 1. *Aqua mucilaginosa & gummosa qua vias laxant & salia obtundunt ut rad. alth. malvæ liquirit* : pulpa cassiæ &c. Aut 2. *Aqua oleosa salina* ut sunt citata semina & nuclei & ex illis emulsiones paratae cum aquis appropriatis, quibus addi potest terebinth. in vitello ovi solutum. 3. Sunt quæ urgentes dolores sopiunt, qualia sunt anodina, quo archeus ad inducias deducatur ut sunt laud. opiat. ejusque tincturæ quæ sufficiunt suo loco & tempore cum aliis mixta. *Inflammatio si ad fuerit renum*, conducunt nitrata & saturnina ut nitrum volat. nitrum antimonium sacchar. saturni omniaque comphorata in lœsione continui & ex ulceratione, omnem paginam absolvunt traumatica & nervina.

## X X V.

Huic scopo inserviunt quoque *externa topica*, loco dolenti applicata, plurimum enim sic combinata, augentur & adjuvantur internorum virtutes ; talia sunt emollientia, resolventia & dolorem mitigantia, omnia quæ abundant blando sale mucilaginosis viscosoramoris particulis intricato ex quibus variae medicamentorum formulæ concinnari possunt, fatus, balnea, clystires, cataplasma, oleo unguenta, Emplastra ; sed magis balnea, fatus, cataplasma, prosumt quam unguenta & emplastra, quæ cautius adhibenda, quia transpirationem inhibent.

## X X V I.

*In dieta generaliter observanda regula ad tuendam sancitatem Hippocratis : Non satiare cibis, & impigrum esse ad labores.* In specie vero aër sit temperatus & serenus, crassus enim & nebulosus multis exhalationibus salinis refertus humores quoque & spiritus animales turbat & inertiores ad actiones reddit Cibus eligatur boni succi & facilis concoctionis, qui simul alvum subducat leniter. Illi vero qui §. 12. descripti, ut lacticina caseosa piperata maximè videntur cum videmus Belgis hunc affectum esse familiarem propter nimium usum lacticiniorum. Potus sit vinum tenue aut moselatum ; videntur vero inveterata tartarea ; cerevisia sit bene fermentata & defæcata cocta cum semine dauci & levisticæ. In curatione convenient decoctum ex rad. diureticis & vulnerar. pro potu ordinario. Somnus, vigiliae ut & motus & quies in mediocritate consistant. Animi pathemata suis quoque detineantur limitibus : & quo ad excreta & retenta, curandum ut alvus semper suo fungatur officio.

S. D. G.